Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1039
Quelle:
Copyright:

X. *fol.* eod. *De Tonsura.* Brevissime allegoricus ejus Significatus exponitur.

XI. *fol.* eod. absque Titulo Explicatio et Significatus mysticus *Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae* et *Quadragesimae.* Ingressus est instar Homiliae: *Si diligenter his quę ex euangelica uel apostolica lectione recitata sunt. animum intendimus. animaduertere possumus. morum nobis et totius uitæ mutationem indici* &c. Finis vero: *sed illa simpla morte domini. a nostra dupla morte liberamur.*

XII. *fol.* 103. p. 2. Adnectitur brevis Dissertatio *de Responsoriis et Antiphonis, quæ in septuagesima in æcclesiis canuntur.* Quod *Allelujah* ante eam multiplicetur, hanc sub finem rationem adfert: *quod ipsa die dimmittenda est. et ideo quasi salutantes. et complectentes. et ualefacientes. quasi quasdam moras innectimus recessuræ. adhuc si fieri posset retinere cupientes.*

XIII. *fol.* et *p. ead.* De celebratione *Diei III. VII. et XXX. pro Defunctis,* absque Titulo. Initium: *Tercia dies specialiter pro animæ absolutione celebratur. quia triplicis est naturæ. uidelicet irascibilis concupiscibilis et rationalis* &c. Ratio diei VII. *Septenarius namque numerus ex ternario constat et quaternario. et ternarius animæ tribuitur. quaternarius corpori deputatur. propter. IIII. notissimos quibus constat humores.* Interjecit manus coaeva: *sanguis. colera rubea. colera nigra. flecma.* Sed haec parum satisfaciunt. Pro celebratione *Diei* XXX. exemplum e *Dialogis Gregorii M.* adducitur.

XIV. *fol.* 104. p. 2. De *Tribus vitae statibus* breviter: *Tres status sunt totius uitæ; Primus status fuit felix. a quo adam per preuaricationem cecidit* &c. *Secundus status miser. in quo nunc sumus* &c. *Tertius status est in illa beata uita* &c. Adseritur hic *Adam, postquam uetiti ligni pomum presumpsit, liberum arbitrium ad bonum perdidisse.*

XV. *fol.* 105. componitur Ἀντιλογία inter illud *Exodi* C. XX. *Visitans iniquitatem patrum in filios,* et illud *Ezech.* XX. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Initium: *Questio oritur. cur dicatur. uisitans* &c.

XVI. *fol.* eod. p. 2. absque Titulo, ut plerumque, Disquisitio *de Suffocato.* Initium: *Suffocatum uocamus animal. quod a lupo. seu urso. et aliqua bestia strangulatum uel laceratum est.* A tali censet Noster abstinendum, non vero a praeda, quam hominis venantis industria vel per canes, vel per falcones, hamo, laqueo, visco &c. in potestatem redegit. Exposito dein *Apostoli* de Suffocatis praecepto, ita concludit: *Nunc uestram domine mi desiderantissime. et totis diligende precordiis. obsecro maiestatem. ut quia precepto uestro. non ignarus proprie mediocritatis parere studui. consulatis necessitati meę. exoneretis uerecundiam. detis ueniam ignorantiæ. faueatis deuocioni; fatebor*

certe